



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Agenda Dioecesis Paderbornensis Rituali Romano
accommodata**

Hermann Werner <Paderborn, Bischof>

Nevhvsii, 1687

Benedictio ad quodvis comestibile.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36005

Benedictio ad quodcunque comestibile.

V. Adjutorium nostrum in nomine domini.

R. Qui fecit cœlum & terram.

V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Benedic Domine creaturam istam N. ut sit remedium salutare generi humano : Et præsta per invocationem sanctinominis tui, ut quicunque ex ea sumpserint, corporis sanitatem & animæ tutelam percipient. Per Christum Dominum nostrum. R. Amen.

Deinde aspergat aqua benedicta.

Benedictio Vini in festo S. Joannis Evangelistæ.

V. Adjutorium nostrum &c. R. Qui fecit &c.

V. Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Iesu Christe, qui te vitem veram, & apostolos tuos palmites appellari, deq; omnibus te diligentibus vineam electam plantare voluisti, bene + dic hoc vinum, eiq; virtutem tuæ bene + dictionis infunde, ut quicunque ob honorem & memoriam dilectissimi discipuli tui Joannis, cuius hodiernâ festivitate lætamur, ex eo sumpserint, vel biberint, morbis & venenis pestiferis effugatis optatam sanitatem, atque salutem corporis & animæ consequantur. Qui vivis &c.

Oremus.

Duis qui humano generi panem in cibum, & vinum in potum procreasti, ut panis corpus confortaret, & vinum cor hominis lætificaret : qui què beato Joanni discipulo tuo tantam gratiam contulisti, ut non solum ab hausto veneni illæsus evaderet, sed etiam in tua virtute veneno prostratos à morte resuscitaret, præsta omnibus hoc vinum bibentibus, ut spiritualem cordis lætitiam, & vitam æternam consequi mereantur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti, Deus per omnia sæcula sæculorum. R. Amen.

Benedictio Dei omnipotentis pa + tris & Fi + lij, & Spiritus + sancti, descendat super hanc creaturam vini, ut sit omnibus ex ea sumentibus remedium contra periculum corporis & animæ, & prægustatio ad vitam æternam.

R. Amen.

Deinde aspergatur aqua benedicta.

Benedictiones peregrinorum ante & post redditum, sicut & olei simplicis : & illas, quæ Episcopos tantum concernunt, studio omisimus. Quod si potestatem quis habeat eas usurpandi, in Missali vel rituali Romano requirat.

DE EXORCIZANDIS OBSESSIS A DÆMONIO.

Sacerdos, seu quisvis alias legitimus Ecclesiæ Minister, vexatos à dæmone exorcizaturus, eā, quā pars est pietate, prudentiā, & vita integritate prædictus sit : qui non suā, sed divinā fretus virtute,